

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

lael

urn:nbn:de:bsz:31-102436

LIBER I.

63

IAEL. Iudicum 4.

ARGVMENTVM.

Iael Sifaram Canānāorum ducem dolo
occidit.

Iael, Sifara, Baracus.

Duerte ad me Sifara, quò fugis? diuerte ad
me tutò. s. Bene mones. Sed ubi abdes me?

I. Bono animo es: sub hoc centone: hic latebis tu-
tissimè. **s.** Amabò, da mihi paululum aquæ, quòd
bibā: nam ualde sitio. **I.** Imò lac dabo ex hoc sino,
quòd melius est aqua. Hem bibe. Nunc quiescito,
ubi texero te hac stragula ueste. **s.** Sed sta ad ianuā
case, ut si quis me quæret, neges hic esse. **I.** Fiet.
Nunc demum facinus edam maius foeminea manu.
Quid hoc: gestit animus, iubetq; audere ulcisci ho-
stem Dei & honorum. Perijsti Sifara: foeminea ui,
foeminea manu interimèris. **B.** Quis mihi nunc,
quis demonstrèt, quòd fugerit hostis? Quem ego si
affecutus fuero, disspereā nisi ei animam eripio ma-
lis modis. Sed quò se surripuit: quò fugit? **IA.** O'
Deū immortalē, quantū ego facinus feci? quan-
tam laudē inueniet Iael? Sed uideo ne Baracum?
Ipse est: sectatur hostem iam iacentem. Barace, huc ^{a sibi pa-}
sis ad me, ut tibi commōstrem hominem quē quæ-
ris. **B.** Obscero, est ne is apud te? **I.** Videbis. **B.**
Proh

a sibi pa-
riet.

64 **DIALOG. SACRORVM**

Proh superi, quid uideo? Sisaram iacentem humi exanimem? quis hoc fecit? **I.** Mulieris factū uides. **B.** At non muliebri tamen. Sed quæso, tū ne hoc fecisti? **I.** Ipsa res indicat. **B.** Video: sed narra, obsecro, quo pacto egeris. **I.** Vidi fugientem, iussi ut ad me ueniret, eumq; operui centone. Deinde cum iam quiesceret, cepi clauum, quem malleo adegi in tempus eius. Ille prouolutus ad pedes meos, efflavit animam. **B.** Utinam sic pereant, quotquot aduersantur Deo.

SENTENTIA.

Turpi morte digni sunt, qui Deo aut eius populo aduersantur. Debiliū manu uincit Deus fortes.

GEDEON TRITVRANS.

Iudicium 5.

ARGVMENTVM.

Genius Gedeonem mittit ad debellandos Madianitas.

Genius, Gedeon.

A. Dsit tibi Ioua, uir fortissime. **G.** Quæso te domine, si adest nobis Ioua, cur tā dira patimur? Vbi nā sunt tot eius mira facinora, quæ nobis narrauere maiores nostri, nos ab eo esse eductos ex Aegyptijs: cum nos nunc deseruit, & addidit Madianitis? **G.** Vade cum tua ista uirtute, & defende Israhelitas à Madianitis. Ego sum tibi
autor